St. Gall 265, pp. 122–123. Ed. S J Harris 7/2013

INCIP[IT] CARMEN EIUSDE[M] DE UIRGINITATE EDILDRUDAE REGINAE ·

Alma d[eu]s trinitas quae secula cuncta gubernas · Adnue iam coepti[s] alm[a] d[eu]s trinitas ·

Bella maro resonet nos pacis dona canamus · Munera nos [Ch]r[ist]i bella maro reson[et] ·
Carmina casta mihi fed[a]e non raptus helenae · Luxus erit lubricis carmina casta mihi ·
Dona superna loquar miserae non proelia troiae · Quaemundum exhilarant[1] dona superna loquar ·
En d[eus] altus adit uenerandae uirginis aluum · Liberet ut homines · En d[eus] altus adit ·
Femina uirgo parit mundi deuota parentem · Porta maria d[e]i · Femina uirgo parit ·
Gaudet amica cohors de uirgine matre tonantis · Virginitate micans · gaudet amica cohors ·
Huius honor genuit casto de germine plures · Virgineos flores · Huius honor genuit ·
Ignib[us] usta feris uirgo non cessit agathae · Eulalia et perfert · ignib[us] usta feris ·
Kasta feras superat mentis prolumine[2] tecla · Eufemia sacras · casta feras superat ·
Laeta ridet gladios ferro robustior agnes · Cecilia inferros · Laeta ridet gladios ·
Multos[3] in orbe uiget p[er] sobria corda triumphus · Sobrietatis amor · multos inorbe uiget
Nostra aliis sacrior sed[4] tempora uirgo beauit Aedildruda nitet · N[ost]ra aliis sacrior ·
Orta patre eximio regali et stem[m]ate clara · Nobilior d[omi]no est orta patre eximio · [p. 123]
Percipit inde decus reginae et sceptra sub astris · Plus [supe]r astra manens · percipit inde decus ·
Quid petis alma uirum sponsa iam dedita summo · Sponsus ade[st] [Ch]r[istus] · quid petis alma uirum ·
Regis ut aetherei matrem iam credo sequaris · Tu quoq[ue] sis mater regis ut aetherei ·
Sponsa dicta d[e]o bis sex regnauerat annis · In q[ue] monasterio e[st] sponsa dicata d[e]o ·
Tota sacrata polo celsis ubi floruit actis · Reddidit atq[ue] anima[m] · tota sacrata polo ·
Uirginis alma caro e[st] [t]umulata bis octo nouembres · Nec pu[t]et in tumulo · uirginis alma caro e[st] ·
X[rist]e tui e[st] operis quia uestis [et] ipsa sepulchro · Inuiolate nitet · X[rist]e tui e[st] operis ·
Ýdros et ater abit sacrae pro uestis honore · Morbi diffugiunt · ýdros et ater abit ·
Zelus in hoste furit quonda[m] qui uicerat eua[m] · Uirgo triumphat ouans · Zelus in hoste furit ·
Aspice nupta d[e]o quae sit tibi Gloria terris · Quae maneat caelis · Aspice nupta d[e]o ·
Munera laeta capis festiuis fulgida tedis[5] · Ecce uenit sponsus · munera laeta capis ·
Et noua dulcisono modularis carmina plectro · Sponsa ýmno exultas et noua dulcisono ·
Nullus ab altithroni comitatu segregat almi · Quam affect tulerat · nullus ab altithroni ·

---

[1] Ed. *terra quibus gaudet*.
[2] Ed. *pro culmine*.
[3] Ed. *multus*.
[4] Ed. *Nostra quoque egregria iam tempora*.
[5] Ed. *taedis*.